

DE
ACOLVTHIS

TERTIVM DISSERIT

DIE DECIMO NONO SEPTEMBRIS

HORA SECUNDA POMERIDIANA


IVVENES QVOSDAM ORATORES

PRODVCTVRVS

M. CHRISTIANVS GODOFREDVS GRABENERVS

RECTOR.

DRESDAE LITTERIS HARPETERIANIS.



Indagaturus *Acoluthorum* historiam, CORNELII, *Romanii*, et CYPRIANI, *Carthaginiensis*, antistitis temporibus antiquiorem, frustra adii CANONES APOSTOLVM, CONSTITVTIONES APOSTOLICAS, CLEMENTEM ROMANVM, IGNATIVM, POLYCARPV M, JVSTINVM MARTYREM, THEOPHILVM ANTIOCHENVM, ATHENAGORAM, TATIANVM, HERMIAM, IRENAEV M, CLEMENTEM ALEXANDRINVM, TERTVLLIANVM. Hi enim omnes *Acoluthorum* non faciunt mentionem, ut hinc, ex nostris MARTINV CHEMNITIVM (a), JOANNEM ANDREAM QVENSTEDIVM (b), JOANNEM BARTHOLDVM NIEMEIERVM (c), THOMAM ITTIGIVM (d), et reliquos, iure suo asseruisse, expertus sim, ante CYPRIANI, et CORNELII, tempora non memorari *Acoluthos*. Cui quidem sententiae non leue accedit robur consensu Pontificiorum, PETRI ARCVDII (e), LVDVICI CELLOTII (f), JOANNIS BAPTISTAE COTELERII (g), et aliorum, qui alioqui pro origine ordinum minorum, temporibus Christi et Apostolorum vindicanda, tantopere pugnare solent. Videtur ergo ordo *Acoluthorum* paullo
ante

- (a) In *Examine Concil. Trid. P. II. p. m. 409*, sequ. (b) In *Antiquitat. bibl. et ecclesiast. P. I. Cap. II. Num. VIII. S. 3. p. 125*, sequ. (c) In *Diss. de ecclesiast. ordinibus Helmst. 1704*. (d) In *Histor. Ecclesiast. Saec. II. Cap. V. S. 1. p. 272*. (e) De *concordia occident. et orient. ecclesiae in sacramentis. L. VI Cap. 9. p. 464*. (f) De *Hierarchia L. VI. Cap. 15*. (g) In *notis ad CONSTITVT. APOST. L. II. Cap. 25. p. 241*.

ante CORNELII et CYPRIANI tempora ortus. At obierunt *Acoluthi* horum praesulum aetate munia non nisi necessaria. Fuerunt enim tum perpetui suorum antistitum, etiam exulantium, comites (h), testesque ac nuncii rerum ab iis, et coram illis, gestarum (i), eorumdem tabellarii sacri (k), rerumque uariarum fidi administratores (l). Quum autem eodem tempore haec munia modo *Acoluthis* solis (m), modo *Subdiaconis* solis (n), modo utrisque simul (o), commissa sint, inde iure meo colligo, non *Acoluthos* solum uiros dignitate non inferiores *Subdiaconis* tunc fuisse, sed et *Acoluthorum* ordinem eadem de caussa esse institutum, de qua *Subdiaconorum*. Hos autem creatos esse, ut subleuarent *Diaconos*, ex ipso eorum nomine patet. Idem nobis indicio, et argumento, est, *Diaconos Acoluthorum* functos esse muniis ante horum originem. Vindicant hinc uetusta monumenta *Diaconis* nuncianti, profiscendi, ministrandi officium (p). Hos uocant praesul-

A 2

lum

(h) CYPRIANVS *Epist. VII.* p. 14. EVSEGIVS in *uita CONSTANTINI*, L. III. Cap. VIII. (i) Hinc CORNELIVS ad CYPRIANVM *Epist. LII.* p. 95, misit Nicēphorūm, *Acoluthūm*, qui ipsi et de confessorib⁹ regres- sis gloriosam laetitiam nunciaret, et aduersus Nouatiani et Nouati no- uas et perniciose ad impugnandam Christi ecclesiam machinas plenissime instrueret. Sic et deinceps in *Concilio Romano SILVESTRI Aco- luthi* ipsis praesulum consiliis ac deliberationibus adfuisse leguntur. CONCILIORVM T. II. p. 151. (k) Conf. CYPRIANI *Epist. XXXV.* p. 88. LVIII. p. 126. LXXVIII. p. 235. (l) Conf. CYPRIANI *Epist. VII.* p. 14. LXXVI. p. 234. Quae loca, sic cum CYPRIANI *Epist. LII.* p. 95, conferas, habebis forsitan, quae ad illam quaestionem respondeas: *An Acolutbi iis annumerandi sint, qui legationes, quas uocant, ecclesiasticas subierint?* Conf. CHRIST. NICOL. KOCHII Comment. de legat. ecclesiast. Cap. III. §. 13. p. 82, sequ. (m) Conf. CYPRIA- NI *Epist. VII.* p. 14. LII. p. 95. LVIII. p. 126. (n) Conf. CYPRIA- NI *Epist. VIII.* p. 16. (o) Conf. CYPRIANI *Epist. XXXV.* p. 88. LXXVII. p. 234. LXXVIII. p. 235. (p) In CONSTITVT. APO- STOL. L. III. Cap. 19. p. 292, ad *Diaconos* pertinere dicuntur τὰ πρὸς ἀγρεῖλαν, ἐνδομικῶν, ὑπηρεσίων, δελέεων. Sic et DIONYSIVS Hierarchiae Cap. V. tres tantum ordines numerat, τὰ ἱεράρχες, τῶν ἱερέων, καὶ τῶν λειτεργῶν, quibus omne ministerium sacrum tribuit.



lum aures, oculos, ora, corda, animas, sensoria, dextras (q). His praecipiunt, obsequium omnibus praestare antistitum monitis, iussibusque (r). Hos testes ac comites (s) esse iubent praesulum, sacra in primis procurantium. Hos antistitum epistolas pertulisse, tradunt (t). Verum enim uero, *Acoluthorum munia non statim ab initio ciuitatis Christianae ad Diaconos pertinuisse*, eorum docet origo (u). Quare ab illo demum tempore iis attributa uidentur, quo in sacro *Christianorum coetu*, forte ob metum insidiarum, fidemque datis mandatis conciliandam, omnia a uiris, sacro cuidam ordini adscriptis, peragi, et administrari, cooperunt. Hunc uero morem iam saeculo post natum *Christum secundo increbuisse*, inde intelligimus, quod, *Acoluthorum officia a Diaconis eodem iam saeculo culta esse*, paullo ante ostendimus (x), et, *CYPRIANI temporibus*, ne praesuli quidem licuit, ad suum coetum cum mandatis aliquem mittere, nisi sacri ordinis uirum (y). Antea autem quemque *Christianorum*, fide dignum, his ipsis expediendis negotiis adhibitum esse, non inde solum cognoscimus, quod sacrorum uiorum collegia tunc nondum erant instituta, nec sancta munia certis ordinibus distributa (z), quin primorum sacrorum ordinum uiris, *Presbyteris*, et *Diaconis*, plane aliae res initio fuerunt demandatae, sed et exemplo *Apostolorum*, qui uiros non semper sacro ordini adscriptos secum habuerunt, uices *Acoluthorum* sustinentes. Meminit nimirum sacer codex *TYCHICVM*, *EPAPHRODITVM*, *ONESIMVM*, *SILAM*, *MARCVM*, *GAIVM*, *ARISTARCHVM*, *SILVANVM*, *LVCAM*, et alios, eosque testatur *Apostolorum* comites (a), testes (b), nuncios (c),

tabell-

- (q) Conf. CONSTITVT. APOST. L. II. Cap. 44. p. 255, et COTELERIVS ad b. l. item eod. libro Cap. 28. p. 244. (r) Conf. CONST. APOST. L. III. Cap. 19. p. 293. (s) Sic ANACLETVS Epist. I. p. 139, et EVARISTVS Epist. I p. 167. CONCIL. T'om. I. (t) Conf. IGNATII Epist. ad Philadelphenos §. 11. p 81. sequ. et KOCHII Comment. de legat. ecclesiast. ueter. Christianorum, Cap. I. Sect. II. §. 4. p. 37, sequ. et §. 5. p. 40. (u) Actor. VI. (x) In his notis sub litteris p. 222. (y) Conf. CYPRIANI Epist. XXVIII. p. 55. (z) Conf. 1. Corintb. XIII, 26. (a) Conf. Actor. XV, 39, 40, 41. XVIII, 29, 2. Cor. VIII, 18, 19. (b) Conf. Eph. VI, 21, 22. Phil. III, 18. (c) Conf. Coloss. III, 7, 8, 9. Tit. III, 12.

tabellarios (d), fidosque ministros (e), fuisse. In aprico est, summa necessitatem, curamque *Christianae ciuitatis*, permouisse uiros diuinos ad eiusmodi sibi legendos comites, ministrosque. At ex quo definitam sedem habere, certosque modo coetus regere, coeperunt antistites, plures accesserunt caussae, quae eiusmodi uirorum ministerium perpetuum suaserunt. Refero huic laetiora *Christianorum coetuum incrementa*, quippe qui aucti non, nisi ministerio plurimum, eoque perpetuo, rite curari poterant. Idem ualuit sensim sensimque crescens auctoritas praesulum, de quorum dignitate ac eminentia magnifice loquuntur primorum iam saeculorum monumenta (f). Nec hoc loco tacendae sunt insidiae, *Imperatorum iussu Christianis structae*. Nam, harum quoque caussa, praesulibus notis, et probatis, comitibus opus fuit, ut et ipsi essent tuiores, et mandata ipsorum melius celarentur, et scirent ceteri, cuius nunciis, ac litteris, ministeriisque, fidem possent habere. Accedit his laudabile instituendi iuuenum, sacris se consecrantium muniis, uelut plantarii, in quo his aliquando rite obeundis mature praeparentur, consilium, quod insigniter explanauerunt FRANCISCVS DVARENVS (g), JENKINVS THOMASIVS (h), et MARTINVS CHEMNITIVS (i). Videtur denique sanctitas, dignitasque, summa praesulum, tum ad sui reuerentiam stabiliendam, tum ad calumnias profanarum gentium retundendas, innocentiae perpetuae, fideique probatae, testimonium postulasse. Hinc iam CLEMENS ROMANVS (k) hac lege sacri ordinis uirorum famae consultuisse legitur, ne quis solus, sine duobus, aut tribus, testibus, accedat ad feminam, siue illa ualeat, siue aegrotet. Quare LVDOVICVS CAPPELLVS (l), et GVIELMVS CAVEVS (m), omnino audiendi sunt, quum de hoc

A 3

Acolu-

- (d) Conf. 1. Pet. V, 12. Idem testantur subscriptiones epistolarum *Apostolicarum*. (e) Conf. 2. Tim. III, 11. Phil. II, 25. (f) Conf. THOMAS ITTIGIVS in *Hist. Eccles. Saec. II. Cap. III. Sect. II.* S. 59. p. 188-190. (g) De *sacris ecclesiae ministeriis ac beneficiis* L. I. Cap. 14. p. 98. (h) In *Dissertationibus uarii argumenti*, p. m. 244. (i) In *Examine Concil. Trident.* P. II. p. 409, sequ. (k) In *Epist. II.* p. 107. CONCILIORVM Tom. I. (l) *Disput. Salmuriens.* P. III. p. 292. (m) *Primitive Christianity*, P. I. Chap. VIII, p. m. 234, sequ.

Acoluthorum officio exponunt. Quod igitur testimonium, ministeriumque, quum praesulibus Christiani quicunque initio praestiterint, praesterunt, sub saeculi secundi initium, certe inter sacra procuranda, *Diaco-*
ni, ex ANACLETI et EVARISTI, *Pontificum Romanorum*. (n), si episto-
- lis, nomen eorum prae se ferentibus, fides habenda est, constitutione,
usque dum, muniis omnibus rite obeundis impares, ideoque, ut bene
iudicat LUDOVICVS THOMASSINV^S (o), subleuantum indigi,
creandis occasionem suppeditauerunt, ut uiris ordinum minorum
omnium, sic et *Acoluthis*. Hi uero primis suis muniis ad medium usque
saeculum tertium functi uidentur, quo duos *Presbyteros*, tresque *Diaco-*
nos, testium loco adjuncros esse antistiti, ex LVCI^I (p), *Romani* praesul-
lis, successoris CORNELII, litteris cognoscimus. Ab illo enim tem-
pore *Acoluthi* comitandi, testandique, honore priuati, et a societate sui
antistitis quasi remoti, ne eorum nomen, ac ordo, penitus interiret, aut
ipsi plane otiosi essent, seruato nunciandi, litterasque preferendi, offi-
cio, in ceroferarios, sociosque, ac ministros, *Subdiaconorum*, sacrorumque
uasorum custodes, mutati sunt, qui post saeculum septimum illis
sola lucernarum cura, et gestatio, ex priscis honorificentioribus muniis
remansit. Ut autem ex iam dictis patet, esse munia *Acoluthorum* illo-
rum ordine ac nomine antiquiora, sic quisque, memor illius, quod de
sacrorum rituum diuersis locis differentia IRENAEVS (q), AMBRO-
SIVS (r), AVGVSTINVS (s), SOZOMENVS (t), SOCRATES (u),
et ISIDORVS HISPALENSIS (x), referunt, facile concedet, *Acolu-*
 thorum | quoque ordinem eodem tempore omnibus locis nec ortum esse,
nec interiisse, nec easdem munium uicissitudines subiisse, eiusdemque
uestigia non posse non illis potissimum in sacris coetibus deprchendi,
in quibus non, nisi septem, *Diconi* creati sunt. Post LVCI^I, *Romani*

(n) Conf. notam sub littera s. (o) *Ancienne et nouvelle discipline de l'Eglise Tom. I. L. II. Chap. XXX. §. 4. p. 669.* (p) Conf. CONCIL. Tom. I. p. 435. (q) Conf. EVSEBII Hist. Eccles. L. IIII. Cap. 29. p. 192, sequ. (r) Ad Cap. IIII. u. 11, 12, *Epistolae ad Ephesios*. (s) In Epist. L. IIII. p. 93, sequ. Opp. Tom. II. (t) Hist. Eccles. L. VII. Cap. 19. p. 734. (u) Hist. Eccles. L. V. Cap. 22. p. 291, sequ. (x) *De officiis ecclesiasticis* L. I. Cap. 43. p. 400.

pontificis, tempora, GAIUS (y), eodem adhuc saeculo tertio, Acoluthos ritu sollemni, nec tamen prius, quam inferioribus ordinibus aliquandiu adscripti fuerint, inaugurarri, praecepsisse legitur. Quarto saeculo sancti SILVESTER I in concilio Romano II (z), ne Acoluthus superioris ordinis virum, nec quis ex ordine inferiori Acoluthum, accusaret, ne Acoluthus damnaretur, nisi septem testibus coniunctus, ut Acoluthi cum ceteris minorum ordinum viris in sacris obsequiis praestarent Diacono cardinali urbis Romae, uasa sacra cum rebus sacratis portarent, et decem annis muneri suo praecessent prius, quam Subdiaconi crearentur. Quod tamen tempus in concilio Romano III (a) ad quinque annos restrinxit idem pontifex, qui etiam in eodem, cuiuscunq; sacri ordinis viros, et hinc quoque Acoluthos, non, nisi totius sacri coetus consensu, creari, iussit. Eos tum litteras de sacris rebus deportandas curasse, testis est AVGUSTINVS (b). Vxorem ducere unam, eamque virginem, permisit illis SIRICIVS (c), ministerioque quinquenni eos addixit. Quinto saeculo lex sexta concilii Carthaginiensis IIII (d) iubet, praesulum recens creatum Acoluthum officium suum docere, Archidiaconum autem eundem, cereo, ureoloque, tradito, inaugurate. ZOSIMVS (e) decreuit, ut ad sacerdotium adspirantes monachi, quemadmodum reliquis ordinibus minoribus, ita et ordini Acoluthorum quatuor annis, nomen darent. Idem praecepit GELASIVS (f), praesulibusque solis ius Acoluthos creandi vindicauit. Sexto saeculo eadem Acoluthorum munia fuisse, testis est GREGORIVS M. (g), et ex decretis concilii Matisonensis II (h) intelligimus, licuisse quidem Acoluthis, ducere coniuges,

non

- (y) In Epistola ad FELICEM, Episcopum, p. 593. CONCIL. Tom. I. (z)
Canonum huius concilii Cap. III, VII, VIII, XI. p. 154 -- 157. CONCIL. Tom. II. (a) Conf. CONCIL. Tom. II. p. 491. (b) In Epist. LXII et CIII. (c) In Epist. I. ad HIMERIVM Tarragonensem, §. 9. et 10. p. 430. CONCIL. Tom. III. (d) CONCIL. Tom. III. p. 537. (e) In Epistola ad HESYCHIVM, §. 1. et 3. p. 392, sequ. CONCIL. Tom. III. (f) In Epist. VII. p. 128, et 130. CONCIL. Tom. X. (g) In libro sacramentorum, Opp. Tom. III. P. I. p. 221. (h) CONCIL. Tom. XIII. p. 85.

non autem his uiduatis, ad secundas nuptias accedere. *Saeculi septimi Acoluthis* pluries memorata officia etiam tribuit ISIDORVS Hispalensis (i), eosque rectioni Primicerii tum subfuisse, nec amplius litteras de sacris rebus pertulisse, testatur. BONIFACIVS V (k) interdixit *Acoluthis*, tangere ossa martyrum, aliosque fonte sacro initiare. SERGIVS (l) autem ipse fuit *Acoluthus*. Eadem munia vindicant *Acoluthis* saeculo octavo FLACCVS ALCVINVS (m), et *Capitulare III DAGOBERTI* (n), saeculo nono *Capitularium CAROLI M. et LUDOVICI PII* (o), itemque concilium *Aquisgranense* (p), AMALARIVS FORTVNATVS (q), et HRABANVS MAGNENTIVS *Maurus* (r). Eodem tempore certa sedes *Acoluthorum* in templis memoratur (s). Nec saeculo decimo eorum ordinem interiisse, testis est auctor *saeculi undecimi*, LANFRANCVS (t), itemque decretum concilii *Atrebaten* (u). Saeculo duodecimo eorum meminerunt HONORIVS *Augustodunensis* (x), STEPHANVS *Eduensis* (y), HVGO *Rothomagensis* (z), JOANNES

Diaco-

- (i) *Originum L VII. Cap. 12. p. 63.* et in *Epist. ad LVDIFREDVM*, p. 413.
- (k) ANASTASIVS in *uita eius*, Tom. I. p. 119, edit. *Romea* 1718.
- (l) ANASTASIVS in *uita eius*, Tom. I. p. 149.
- (m) In *libro de diuinis officiis*, Cap. 34, p. 1078, de *dignitate ecclesiastici ordinis*, et Cap. 36, p. 1081, de *gradibus ecclesiasticis*, edit. *Parisiis*, 1617.
- (n) Conf. STEPHANI BALVZII *Capitular. Reg. Franc.* Tom. I. p. 98, *Tit. I. Cap. 8. §. I.*
- (o) Apud BALVZIUM I. c. Tom. I. L. I. Cap. 133. L. V. Cap. 302, et 336, p. 897.
- (p) CONCIL. Tom. XX. *canonum L. I. Cap V.* p. 442.
- (q) *De ecclesiastico officio ad LUDOVICVM, Imperatorem*, L. II. Cap. 10, p. 972.
- (r) *Tom. XLI. BIBLIOTH. PATR.*
- (s) *De instituto clericorum L. I. Cap. 9.*
- (t) Conf. ANASTASIVS in *uita GREGORII* 1111. Tom. I. p. 344.
- (u) In *libello de celanda confessione*, Tom. XVII. BIBLIOTH. PATR. p. 830.
- (v) Conf. GERARDI, *Episcopi Camerensis et Atrebaten* descriptio eius, Cap. VI. p. 33. Tom. XLI. *Spi-cilegii ueterum aliquor scriptorum DACHERII*, edit. *Parisiis* 1677.
- (x) In *Gemma animae*, L. I. Cap. 178. BIBLIOTH. PATR. Tom. XX.
- (y) In *libro de Sacramento altaris*, p. 1873. BIBLIOTH. PATR. Tom. XX.
- (z) L. II. *dogmatum christianaee fidei contra haereticos sui temporis*, Cap. V. p. 1348, BIBLIOTH. PATR. Tom. XXII.

ni
n-
as
rit
R-
u-
A-
L-
S-
).
ec
i-
).
,
S-
o-
3.
D.
is
b.
E.
S.
2.
D.
p.
o-
l.
I-
z.
i-
7.
X.
z.

Diaconus (a), JVO Carnotensis (b), RVPERTVS Tuitiensis (c), et, saeculo decimo tertio, GUILBERTVS Tornacensis (d), Romanique pontifices, INNOCENTIVS III (e), et IIII (f). Nec sequenti saeculo ordo Acoluthorum exspiravit. Hos enim anno ∞ cccc xxxviii concilio Florentino adfuisse (g), constat, eorumque ordinem, anno ∞ 1565, decretis concilii Mediolanensis I, quasi renouatum legitimus (h), postquam finitum anno ∞ 15 L X I I I concilium Tridentinum (i) ordinis huius auctoritatem diris execrationibus, in contemtores eius compositis, asserere, et munire, operaे preium duxerat. At concilium Mediolanense V (k) anno ∞ 15 LXXVIII eius perpetui seruandi rationes proposuit, quem tam en etiam inter Pontificios in tantum nouimus exspirasse, ut modo cuiusdam, modo nullius, sacri ordinis uiri Acoluthorum officia subeant (l), quae quidem quaque ratione hoc ipso fiant saeculo, fuse docuit MICHAEL BAVLDRY (m). Ritus autem, formulasque precum, quibus fere singulis inaugurarunt saeculis consueuerunt Acoluthi, eximia collegit cura JOANNES MORINVS (n). Sed haec omnia, quae de Acoluthis hactenus disserui, origines eorum, ac ordinem, solis Christianis, regionum occidentem solem uersus positarum incolis, asserunt. Horum enim doctores, scriptoresque, et concilia, cuncta, quae protuli, mihi suppeditauerunt.

B. *Concordia ex aliis. Quum*

- (a) In *Epist. ad SENARIVM, in MABILLONII Museo Italico, Tom. I.* p. 74. (b) In *Sermone de excellentia sacerorum ordinum, et Serm. II. de rebus ecclesiasticis.* (c) De diuinis officiis *L. l. Cap. 36.* p. 759. *Opp. Tom. II.* (d) In *tractatu de officio episcopi et ecclesiae ceremoniis, Cap. 22.* p. 412. *BIBLIOTH. PATR. Tom. XXV.* (e) De mysteriis missae *L. l. Cap. III.* (f) In *Epist. X. ad OTTONEM, Cardinalem Tusculanum, §. 19.* p. 406. *CONCIL. Tom. XXVIII.* (g) *Conf. CONCIL. Tom. XXXIII.* p. 102. (h) *Conf. CONCIL. Tom. XXXVI.* p. 80. (i) *Conf. CONCIL. Tom. XXXV.* p. 555. (k) *Conf. CONCIL. Tom. XXXVI.* p. 640, sequ. (l) *Conf. IOANNES MORINVS in commentario de sacris ecclesiae ordinationibus, Part. III. Exercit. XI. Cap. 3. §. 5.* p. 159. (m) In *manuali sacrarum caeremoniarum iuxta ritum Romanae ecclesiae, Part. I. Cap. 14.* p. 46 -- 53, et *Part. V. Cap. II.* p. 308, sequ. (n) In *Commentario de sacris ecclesiae ordinationibus, Part. II.* p. 211 -- 278. Addatur *IOANNES MABILLONIVS L. III. de Liturgia Gallicana, p. 302.*

Quum ideo nullus doctor Christianorum Graecorum, nulla lex Graecorum conciliorum, nullum decretum acti ab utriusque imperii Romani Christianis conuentus, nulliusque de sacris Christianorum Graecorum caeremoniis libri auctor, sacrum Acoluthorum ordinem memoret, quin Graeci Christiani sacrorum ordinum in maiores et minores diuisionem plane nesciant, et haec omnia ne Pontificii quidem negent (o), ipsaque INNOCENTII IIII (p) lex de restituendis inter Graecos septem ordinibus eius rei testis sit, sacrum Acoluthorum ordinem inter Graecos Christianos nunquam obtinuisse, contendo. Acoluthorum enim, praesules Nicæam comitantium, mentio, quam EVSEBIVS (q) iniicit, probat tantum, adfuisse huic concilio Acoluthos, non autem, eos Graecorum antistitum comites fuisse, quum eiusmodi viros inter Graecorum praesulum comites alibi relatos non legamus, et eidem concilio alii quoque antistites interfuerint, qui, Acoluthis comitibus diu ante usi esse, memorantur. Sunt quidem, qui in ceroferariis Graecorum Christianorum, quorum SIMEON Thessalonicensis (r) meminit, deprehendisse Acoluthos Graecos, sibi uidentur. Sed, quum hi Acoluthorum nomine nunquam compellentur, et his in unico tantum officio, eoque recentius iniuncto, similes fuerint, illorum opinionem potioribus egere rationibus, in aprico est. At enim lex, ab Imperatoribus, VALENTINIANO, VALENTE, et GRATIANO, scripta, post Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, Exorcistas, Lectores, et Ostiarios, quoque Acoluthos memorat, eosdemque cum illis

- (o) Conf. ISAACI HABERTI liber pontificalis ecclesiae Graecae, Part. V. *Liturgiae ordinum, Obseru.* l. p. 47. edit. Parisiis 1643. JACOBI GOAR *Rituale Graecorum*, p. 197, sequ. edit. Venetiis, 1730. LOVIS THOMASSIN *ancienne et nouvelle discipline de l'Eglise*, Tom. I. L. II. Chap. 30. §. 4 p. 669, et in primis JOANNES MORINVS in *commentario de sacris ecclesiæ ordinationibus*, Part. III. Exercit. XIIII. Cap. I. §. 1 sequ. p. 188, sequ. (p) In Epist. X ad OTTONEM, Cardinalem Tusculanum, §. 19. p. 406. CONCIL. Tom. XXV. III. (q) In uita CONSTANTINI, L. III. Cap. 8. (r) De sacris ordinationibus, Cap. I. p. 106, in MORINI comment. de saer. eccl. ordinat. Addatur MORINVS l.c. Part. II. p. 66, et 95, et JACOBVS GOAR ad *Rituale Graecorum*, p. 197, sequ.

illis personalium munerum expertes esse, praecipit (s). Quod autem hac lege neutquam probari potest, in ea occurrentes *Acoluthos* uiros sacri fuisse ordinis, quin eorum post *Ostiarios* demum commemoratio indicat, eosdem plane alias generis uiros fuisse, quam quos ego commentatus sum, quippe quorum ordo inter *Subdiaconos* et *Exorcistas* locum medium olim obtinuit, iis eadem potius demandata fuisse munia, existimo, quibus illi *Acoluthi* uacabant, quos JVSTINIANVS (t) meminit, prae-
sertim quem, horum originem ad CONSTANTINI M. tempora refe-
rendam esse, ipsa lex doceat. Illi uero ab officio comitandi funera *Aco-
luthi* dicti, et in ferendis cereis, quibus in funeratione primos usos esse
Christianos, nouimus (u), occupati fuisse, DIONYSIO GOTHOFRE-
DO (x) non sine ratione uidentur, nullique sacro ordini erant ad-
scripti (y), sed, quae uocabant, *asceterii*, ut hinc ad monachorum po-
tius coetum pertinarent, qui omnino differebant ab illis, quos *Clerico-
rum* titulo ornabant (z). Qua re sententiae meae sua constat ueritas,
sacrum *Acoluthorum* ordinem *Graecos* nesciuisse, quamuis, fuisse uiros
inter *Christianos Graecos*, *Acoluthorum* nomine insignitos, lubens largiar.
Sed dixerit forte aliquis, *Christianos*, occidentem solem uersus incolentes,
sacrorum uirorum appellations a *Graecis* transsumere consueuisse, et,
quum *Acoluthi* uox originis *Graecae* sit, *Acoluthorum* origines tanto uerius
apud *Graecos* quaeri *Christianos*. Verum enim uero grammatica ratione
potior omnino iudicanda est fides historiae. Haec autem docet, nullos inter
Christianos Graecos Acoluthos fuisse, sacro cuidam ordini adscriptos. Nec
Christiani Romani semper retinuerunt *Graeca* sacrorum uirorum nomina.
Nam *Graecorum ἀρχότας* uocarunt lectores, *Graecorum ψάλτας* can-
tores, *Graecorum πυλωγοὶ* ostiarios. Dum autem *Graecas* uoces *Episcopi*,
Presbyteri, *Diaconi*, et *Exorcistae*, immutatas retinuerunt, non tam aucto-
ritatem, et exemplum, *Graecorum*, quam potius originem harum uocum
diuinam, quum hae solae, nec reliquae, sacrorum uirorum appellations
in diuino codice exstant, respexisse uidentur, et forsan eandem respexe-
runt in nomine *Acoluthi*. Licet enim haec uox ipsa in sacris litteris non

B 2

lega-

- (s) *I. 6. C. de Episcopis et Clericis.* (t) *Nouella 59.* (u) *Conf. QVEN-
STEDIVS in Antiquitat. bibl. et eccles. annexa dissertatione de sepul-
turis ueterum, p. 95, sequ.* (x) *Ad Nou. 59.* (y) *Conf. Nou. 123.*
Cap. 19, collatis Cap. 13, et Nou III. Cap. I. (z) *Conf. ipse titulus
I. I. C. et GELASII Epist. VIII. p. 128, CONCIL, Tom. X.*

legatur, notissima tamen est illa, *Christi*, comites et discipulos sibi ad iungentis, formula: 'Ακολέθει μοι, sequere me (a)! et, quum formulae: *Kyrie eleison*, *Gloria in excelsis Deo*, *Magnificat anima mea dominum*, aliaeque, satis superque probent, fuisse Christianis admodum familiare, diuini codicis formulas rebus sacris accommodare, idem et huic formulae optimi seruatoris: 'Ακολέθει μοι, obtigisse, uero euadit similius. Accedit, quod haec uerba *Christi* ita uocatis eadem munia ratione seruatoris iniunxit, quae primis conuenerunt *Acoluthis* sui ratione antis titis, sequi nimurum descendit (b), ministrandi (c), imitandi (d), tuendi et comitandi (e), atque testandi (f) caussa. Taceo, CLEMENTEM *Alexandrinum* (g) de hominis Deum imitandi officio, et IGNATIVM (h) de studio, mores, doctrinamque, praesulum uita exprimendi, similibus uti formulis, et id unicum adhuc moneo, eundem IGNATIVM loco alio (i), ἐν λέγοι ὑπηρετῶν, ακολεθῶν, καὶ μαρτυρῶν, ita coniungere, ut haec tria illis tribuat, qui ipsum, quum Romani decluceretur, ut pateretur ibi supplicium, honoris et consolationis caussa comitabantur. En *Acoluthi* e ipsa, licet non nomine! Sed haec de *Acoluthis*, quorum comitandi, ministrandi, litterasque preferendi, officium tribus meorum discipulorum hanc dicendi materiam præbuit, ut


CHRISTIANVS FRIDERICVS VETTER, *Dresdensis*,
consuetudinem cum doctoribus,

JOANNES GVILIELMVS KNOEFFEL, *Wilsdorffensis*,
officiosam in doctores pietatem,

JOANNES GEORGIVS BAEVCKERT, *Krietzschwitzensis*,
commercium litterarum de rebus eruditis, ob utilitatem suam discendi cupidis,
primus et tertius quidem sermone *Latino*, secundus uero vernaculo, decimo tertio *Calendas Octobris*, publice commendatari sint. Quod igitur consilium ne optato careat effectu, frequentiam suam honorificam, ac mite iudicium, CV-
IVSIS ORDINIS AC DIGNITATIS AEQVOS CONATVVM SCHOLASTICORVM AESTIMATORES ea, qua par est, reuerentia oramus. Per-
scripsi in schola nouae urbis prope Dresdam, ipsis Idibus

Septembris, ∞ IO CC XXXXVIII.

- (a) Conf. *Matth. VIII, 22. VIIII, 9. XVIII, 21. Marc. II, 14.* (b)
Conf. praecedentem notam sub littera a!
- (c) Conf. *Matth. XXVII, 55.* (d) Conf. *Matth. XVI, 24. Joan. VIII, 12. XII, 26.* (e) Conf. *Marc. VIII, 38. Joan. XIII, 37.* (f) Conf. *Luc. XXIII, 48. Joan. XV, 27. Actor. I, 8, 21, 22. VI, 32.* (g) *Stromatum L. II. §. 19. p. 482. et L. V. Cap. 14. p. 703. edit. Oxonii, 1715.* (h) In *Epistola ad Smyrnaeos*, §. 8. p. 36, et §. 10. p. 37, in *COTELERI* II *Patr. Apost. Vol. II.*
- (i) In *Epistola ad Philadelphenses*, §. 11. p. 81.



2

DE
ACOLVTHIS
TERTIVM DISSERIT

DIE DECIMO NONO SEPTEMBRIS
HORA SECUNDA POMERIDIANA
IVVENES QVOSDAM ORATORES
PRODVCTVRVS
M. CHRISTIANVS GODOFREDVS GRABENERVS
RECTOR.
DRESDAE LITTERIS HARPETERIANIS.